



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mauritania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A fervaverim, ne que Italiam, neque aliam quampiam provinciam, regionemve, aut civitatem significare contenderim: sed aut bellum, aut itinerationem, aut decursionem, ut in Nesonianis plerisque: aut velocitatem, ut in Papyrianis, & alia, prout locis suis explicantur.

MAURETANIA. CAP. XII.

Nisi qui (si videant in Hadriani numo Equum à pedite rectum cum inscriptione, MAURETANIA, ^{Hadriani numus.} Nita enim scriptum per E secunda syllaba) intelligere velint provinciam eam in dedicationem acceptam, vel quid hujusmodi. Sane aliquot ex hujusmodi numis una in parte caput habent Hadriani, ab altera Equum, quem mulier duobus armata jaculis ducit: quod nimirum indicat genus id bellandi, quo plurimum utitur ea provincia.

MAURI FEROCES. CAP. XIII.

Quin posterioribus etiam seculis militares quidam ordines, qui sub Equitum Magistro militabant, dimidios rutili coloris Equos duos in alba parma, sese quodammodo lacescentes, orbe viridi, cujus luteus erat umbilicus, interposito, præferebant, itaque MAURI FEROCES appellabantur. Quod verò aliqui ex numis Italiam per Equum significari crediderint, forte suspicati sunt ex eo numo qui Equum exultantem habet, flore quodam superne sito, ab cujus altero latere inscriptio est, ROMANOR.

EQ VICTORIA. CAP. XIV.

Cur verò potius non putemus numum hunc in rei gestæ monumentum esse cusum? quia bello Punico, quod cum Hannibale gestum est, ceperint aliquando Romani etiam Equis superiores esse, cum prius robur eorum omne in legionibus consisteret: flos enim ille superne additus principium atque spem bonæ frugis indicat. Sane Virgilius rem tantam haudquaquam reliquit indictam, cum de Marcelli laudibus ita cecinit:

*Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pænos.*

At in Cephæniorum etiam numis Equus signari solitus est, cujus rei mentio apud Plutarchum. ^{Cephæniarum numus.} Apud Smyræos Fortunæ simulacrum fuit à Bupalò quodam probo sane viro factum, in cujus capite pullus Equinus infidebat, & Amalthææ cornu manum implebat, de quo apud Pausaniam in Messeniæ.

SYRACUSANI. CAP. XV.

Vtebantur & Syracusani Equi nota. Nam Atheniensibus illis, qui apud Syracusas capti Niciæna clade pro servis venièrè sub hasta, frons Equi caractere inusta est. In aliquot eorum numis Equus & fessor habetur cum inscriptione, ΙΕΡΩΝΟΣ: quod nimirum eius in Equestri militia, sed præcipuam in certaminibus gloriam ostendit, quem ea de causa tot laudibus Pindarus Poëta immortalitati consecravit. Aliæ quoque Respub. atque alii plerique Principes Equi signo usi sunt, ut nihil denique privatum videam, quod ad Italiam spectet.

TARENTINI. CAP. XVI.

Quinetiam in numo, cujus inscriptio ΤΑΡΑΣ, Eques etiam jaculator inspicitur, ob Equestrem scilicet militiam, quam egregie Tarentini sunt exercere soliti: unde apud Græcos, Tarentinos ordines invenias ex Equitibus hujusmodi constitutos, & ταρεντιζέων verbum, eo se militiæ genere exercere.

SAGITTARII SENIORES ORIENTALES.

CAP. XVII.

Equi verò duo dimidiati coloris lutei, in cæruleo clypeo, quem ruber circulus ambibat, averfi profuientes à centro, quod luteum in medio rubræ peltæ, pro umbilico appositum erat, ita ut

G

ab